



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvatii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

De partibus orationis. Cap. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

des: Ea autem quæ vestimenta eius sustentat, est humilitas. Ipsa autem roseo colore vultum perfusa: hoc est charitatis ornamento decorata ingreditur, vt ad libitum summo Regi & omnipotenti Deo creatori & amantissimo sponso suo loquatur.

Ex hac viola humilitatis, alius elegans flos enalitur, accusatio nimirum sui ipsius, & peccatorum confessio: de qua Salomon ait: *Iustus prior est accusator sui.* Huic autem præparationi vt satisficiat anima, opus fuerit, vt ad orationem se datura, primùm conteratur aut atteratur de omnibus peccatis suis, & illa confiteatur, aut si oportunitas id agendi desit, confiteri desideret, tum firmo proposito, cuncta quæ diuinam maiestatem possint offendere, vitandi.

*Proverb. 18.
Confessio
peccatorum
necessaria
est oranti.*

De orationis partibus.

CAPVT II.

QVI de oratione mentis scribunt, eam sex partibus constare tradunt: puta: præparatione, lectione,

24 HORTVS ORAT.

ne, meditatione, gratiarum actione, & petitione. Quæ sex partes, totidem huius nostri hortuli plantas constituunt, ex quibus elegantes flores & fructus decerpantur.

De prima earum iam egimus, tres posteriores in testamento siue pacto animæ cum Deo in tribus prioribus suspirijs explicabimus: De lectione & meditatione restat vt nunc agamus: De contemplatione verò nihil in hoc hortulo dicemus, sed peculiari libro de ea tractabimus, si vos filios meos in huius hortuli cultura sollicitos & diligentes animaduervero: Itaque orationem instituturi: præparatione, vt iam dictum est, præmissa: & lectione ac meditatione secundum eam methodum quam statim subiungemus confecta: & tribus prioribus testamenti præfati suspirijs adiunctis, eam ritè cõficietis, omnibusq; partibus suis absolutam reddetis.

De modo orandi.

SED fortè priusquam de lectione ac